





5097
1747, 26^b 3
DISSERTATIO
IVRIS NATVRALIS PRIOR

DE
INTERNARVM ACTIONVM
MALARVM POENIS

QVAM
AVTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
PVBLICE DEFENDET
M. CHRISTIANVS FRID. STIEGLIZIVS
RESPONDENTE
DAVID GOTTLIEB DOERING
REICHENBACO VARISCO. TH. C.

DIE VIII. MENS. MART. A. R. S. cLo Io CCXLVII

LIPSIÆ
EXCVDEBAT IO. GOTTL. IMM. BREITKOPF.

DISSERTATIO

IN RE NATURALI PRINCIPALITATE

INTERMEDIARUM ACTIONUM
MATERIALIUM

AVTHORITATE

ADHONORABILISSIMI PRINCIPIS

FRANCISCI

M. CHRISTIANVS FRID. STEGLINVS

RESPONDENTE

DAVID GOTTLIEB DORRING

PHYSICAE

IN VITAE

FRANCISCI

M. S. S. S.

RECEPIT IN BIBLIOTHECA



V I R O

ILLVSTRI MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO

ATQVE PRVDENTISSIMO DOMINO

D O M I N O

CHRISTIANO LVDOVICO

STIEGLIZIO

REGIS POLONIARVM

ET ELECTORIS SAXONIAE

A CONSILIIIS SECRETIORIBVS BELLICIS

CIVITATIS LIPSIENSIS CONSVLII

SCABINATVS ASSESSORI

DOMINO ATQVE MAECENATI MEO

INDVLGENTISSIMO



HANC
ACADEMICAM DISSERTATIONEM PRIMAM
OB SVMMAM PIETATEM ET AMOREM SINCERVM
DEDICAT
QVODVE
FELIX FAVSTVM FORTVNATVMQVE SIT
APPRECATVR EX ANIMO
PERPETVO PATROCINIO ET BENEVOLENTIAE
EA, QVA DECET, ANIMI SVBMISSIONE
SESE COMMENDANS
CHRISTIANVS FRIDERICVS STIEGLIZIVS





CAP. I.

DE

POENIS ACTIONVM INTERNARVM MALARVM NECESSARIIS.



§. I.

Evolumus ut subtilem sic utilem illam, de *Ratio insti-
poenis actionum internarum malarum quae- tuti.*
stionem secundum Juris Naturalis praecepta.
Hac autem in materia pertractanda autoribus
nonnunquam nobis opus erit. Quam ob
causam ad immortale HVG. GROTII opus, de *Iure Belli
ac Pacis* inscriptum, haud raro provocabimus. Cum hoc
autem celeberrimi DARIES, olim praeceptoris mei per-
petuo colendi, *Institutiones Jurisprud. Univerf.* studiose con-
iungam, quo eo melius assertorum nostrorum, cum aliis
Jur. Nat. doctorum institutis convenientia pateat. Praeterea

A

L. B.

II CAP. I. DE ACTIONVM INTERNARVM

L. B. ignoscet, si non ubivis definitiones Metaphysicorum proprias, a nobis exhibitas reperiat. A definitionibus scientiarum humanarum primis semper in differendo ordiri velle, absolum esse mihi videtur. Haec est ratio, cur, quid sit actio Metaphysicis definiendam relinquamus. Nossé tantum sufficiat in hacce materia actionis vocabulum tam late patere, ut tam commissivas quam omissiones sub suo ambitu complectatur.

Vid. Cel. Davies Inst. Jurispr. univers. §. 54.

§. II.

Actiones internae non subiacent poenis civilibus.

L. XLVIII. ff. is. de poenis.

Vid. Pufendorf de offic. Civis et hom. ex edit. beati Lehmanni L. II. c. XIII. §. 11. et 12. It. in praef. §. XII.

Explanationem vero secundum Ius Naturale cum promiserimus absolvendam: nemo rerum tam iniustus erit arbiter, ut a nobis poenam harum actionum externam, civilem et in sensus incurrentem poscat. Silent enim leges civiles, si de actibus internis sermo est. Forfitan inde quoque illius satis triti proverbii origo erit repetenda: cogitationum poenas nemo patitur, (i. e. Gedanken sind Zoll frey.) quod, ubi secundum leges civiles diiudicatur, verum est, non enim hominum est scrutari corda, sin vero de legibus naturalibus et divinis id intelligatur, falsum. Harum enim vis in actiones internas porrigit, uti ex seqq. satis elucescet. In foro enim externo poenis afficiuntur soli actus externi, et ne hi quidem omnes, nisi tranquillitatem reipublicae impediunt eiusdemque securitatem. Inde fit, ut ii potissimum actus, qui de corruptione mortalium communi testantur, iudices effugiant, quibus, licet competat ius puniendi; minutissimis tamen indulgent actionibus, nihil enim illis aliud; quam punire, esset peragendum. Si igitur ne actus quidem omnes externi, quibus tamen inest malitia, sub iudicium cadant civile, multo minus internae actiones merae, de quibus loquimur, in foro plecti possunt civili. Eleganter hanc in rem

MALARVM POENIS NECESSARIIS. III

rem differit H. GROTIUS L. II. c. IV. §. 3. cuius verba huc transcribi merentur: *luris*, inquit, *effectus qui ab animo pendent, non possunt tamen ad solum animi actum consequi nisi is actus finis quibusdam indicatus sit, quia nudis animi actibus efficientiam iuris tribuere, non fuerat congruum naturae humanae, quae, nisi ex signis, animi actus cognoscere non potest, qua de causa etiam interni actus meri legibus humanis non subiacent.* Vid. praeter hunc citatum locum L. II. c. VI. §. I. n. I. et eodem Libr. II. c. XX. §. XVIII.

§. III.

De actionibus igitur internis acturi, teneamus, alias *Quid internae actiones morales et physicae?* corpori, alias vero animae inesse posse actiones. De corporeis actibus internis, multa dici haud possunt, quum plerique sint physici, ad quos Ius. Nat. non pertingit. At, ut haec recte partiamur, ita, ut nec aliquid desit, nec redundet; notemus, nonnullas hominum actiones internas, ita esse comparatas, ut ad voluntatem et libertatem possint referri, ceteras vero non eodem se habere modo. Vna voce illae dicuntur * *morales.* Inluit igitur intellectus in haec actiones, qua re ab aliis aliter definiuntur. Non *morales II. Davies lib. cit. p. 54.* sunt physicae, quae et ab aliis motus dicuntur physici, et necessarii, quorsum concoctionem ciborum, sanguinis motum, spirituumque animalium commotionem referas. Possunt etiam utriusque esse generis actiones, quae dicuntur mixtae. Vid. Lehmannus ad Pufend. de off. C. et H. p. 54. in nota.

* Cur *morales* dicantur illae actiones, studet explicare Pufendorfus de I. N. et G. L. I. c. V. §. 1. sub finem. Alii discernunt actiones humanas ab hominis actionibus, de qua distinctione legi meretur Lehmannus ad Pufend. de off. C. et H. c. I. §. 17. p. 58. in aster. It. initio Cap. I. §. 11. De humanarum actionum

IV CAP. I. DE ACTIONVM INTERNARVM

actionum praeterea admodum solliciti sunt principiis fiendi, cum alii unicum tantummodo admittant, alii vero bina eius esse generis statuunt, nonnullis autem plura se probent. Qui unicum assumunt, id proaerescin esse volunt. Sed optime hanc litteram composuit, animosque, in varias sententias distractos, temperamento quodam superaddito conciliavit, Cel. Lehmannus in notis ad Pufend. c. I. §. II. p. 4. dum principia remota a proximo discernit.

§. IV.

Cum omnibus hominum actionibus confectaria sunt connexa.

Vid. Cel. Davies §. 57. Instit. Iur. Univ.

Ex hisce actionibus, si perpetrantur, variae subnascuntur mutationes, seu, quod eodem redit, haec actiones sunt causae effectuum, necessario cum iisdem connexorum. Haec connexa cum actione quadam et quae fluunt exinde, confectaria dicemus actionum earundem. Ex omnibus autem actionibus oriri confectaria, satis non solum docet experientia, verum sanior etiam dicitur ratio. I.) Corpus enim nostrum est organicum, cum quo arctissimo nexu nostra est coniuncta anima. Si igitur machinae partibus mutatio inducitur, anima eandem sibi continuo repraesentat, ideo habebis in anima confectaria quaedam, obviae in corpore mutationis. II.) Corporis praeterea motus, repraesentationibus in anima factis convenientes, consequi, constat.

III.) In genere vero istud notare debemus, quod, dum quidquam cogitamus, alias intermittamus actiones. Has igitur aliarum actionum omissiones, merito pro omnium actionum necessariis habere debemus confectariis. Exinde, quantum arbitramur, nullam actionem suis carere confectariis, elucet. Confectaria igitur iam iam a nobis descripta, interiorum etiam sunt actuum effectus. Haec vero confectaria homini non possunt esse obscura, dum ratione polleat, cuius beneficio ea potest detegere, quae actiones nostras

MALARVM POENIS NECESSARIIS. V

nostras consequantur. Ciceroni haec conſectaria ſunt actio-
nis conſequentia. Illuſtris eius de his proſtat locus L. offic.
I. c. III. ubi ita eleganter diſcrit: *homo autem quoniam rati-
onis eſt particeps, conſequentia cernit, principia et cauſas re-
rum videt, earumque progreſſus et quaſi anteceſſiones non
ignorat, ſimilitudines comparat et rebus praesentibus adiungit
atque annectit futuras. &c.*

§. V.

Conſectaria noſtris cum actibus eſſe arctiſſime copu- *Diviſio con-*
lata, nemo non videt. (§. ant.) Haec autem vel ſuboriuntur *ſectariorum.*
ex actione qua tali, vel efficiuntur atque conſtantur ex acti-
one, quatenus moralis eſt. Haec dicuntur moralia, illa ve-
ro naturalia conſectaria. Vtriuſque generis ruruſus fluere
poſſunt, vel ex actione in ſe, vel ſub certis circumſtantiis
perpetrata. Inde naturalia conſectaria alia ſunt neceſſaria,
alia vero contingentia; et moralia iterum alia intrinſeca, ut
dicunt, alia vero extrinſeca. Ad haec et voluntatem ſupe-
rioris referas, qui aut Deus, aut homo poteſt eſſe, unde mo-
ralitas actionis ſubiectiva et extrinſeca, aut divina, aut huma-
na aſſurgit. Ad actionum moralium conſectaria potiſſimum
noſtra ſpectat tractatio.

* De neceſſariis igitur et intrinſecis actionum internarum conſecta-
riis primus erit exponendi locus, ut deinde ad contingentia eo
felicioꝝ pateat aditus. Exempla ubivis ad allatas diviſiones ſunt
in promptu.

§. VI.

Cauſam per effectum in moralibus determinare licet. *Quid actio-*
Igitur, ſi conſectaria actionis cum eſſentia hominis eiusque *nes bonae et*
ſine conſentiant, atque conſpirent, actio erit bona, ſin vero *malae?*
Grotius L.I.
C.I. §. 10.

VI CAP. I. DE ACTIONVM INTERNARVM

Illustr. Davies lib. cit. §. 59. It. Grot. de I. B. et P. Proleg. n. 7. p. m. VI. et VII. exedit. Barbeyr. hominis naturae repugnent, erit mala ist haec actio appellanda. Si ergo consecretaria actionis moralia consentiunt, tunc demum actio moraliter erit bona, et si physica haud discrepent ab hominis natura, tunc actio physice erit bona. De malis actionibus eadem sunt dicta. Inde quid actio physice bona necessaria, et contingens, quidve moraliter bona, intrinsecus et extrinsecus talis, facile potest perspicui. (§. ant. vid.)

* Scio, ab aliis alias afferri explanationes actionum bonarum atque malarum, quorum tamen argumentis neutiquam commoveor. Multae proponuntur hac de causa, quaestiones, externo verborum sono quidem discrepantes, sensu tamen eadem. Num scilicet detur moralitas obiectiva? an voluntas Dei sit moralitatis principium? utrum actiones antecederent bonae, an vero consequenter? Itemque, an per se bonae et malae, nec ne? et quae eiusdem generis reliqua. Audiamus cel. *Buddum* in inflit. Theol. Mor. P. II. C. I. §. xxix. n. 3. utpote qui acriter contra illos disputat, sententiam, qui contrariam defendere conantur, neque suae subscribunt opinioni, qua bonitatem et pravitatem actionum omnem a lege repetendam esse, existimavit. Suas tandem addere rationes, quibus inductus sit, ipsi haud displicuit. Nimirum I) quia alias ratio, cur actio bona vel mala sit, reddi nequeat. Sed hic scrupulus tanti haud quaquam putandus est, qui e medio tolli nequeat. Contrarium potius, proxime quae sequuntur, docebunt. II) Alterum, quod affert argumentum, nos prorsus non attingit, cum ex ipso actionis fonte, eiusque consecretariis, bonitatem et malitiam actus deducere possimus. III) Tertium, quod in lucem edidit argumentum, libenter concedo, sed salva mea sententia. Nihil enim aliud exinde confici poterit, nisi id, quod Viro celeb. notiones de hac re non fuerint clarae, uti proficitur ipse, atque perspicuae. IV) Vltimum tandem, quo utitur, argumentum rursus non est oppositum moralitatis intrinsecae patronis, sed solummodo subordinatum, possunt enim bene haec inter se consistere, Deus vulg

MALARVM POENIS NECESSARIIS. VII

vult hanc actionem, quia in se spectata, bona est. Sed cum profani etiam homines sine specialiori Dei lege, atque patefactione, actionum internarum moralitatem cognoverint satisque perspexerint; exinde, andem ope rationis ex natura actionis posse colligi, consequitur. Forfan Apostoli, locis a viro cel. citatis, de uberiori et clariori cognitione, a lege divina pendente, loquuntur. Sed alii statuunt hac de re, quidquid velint, non impedio, sententiae enim meae nihil poterit detrahi. Si enim actio quaedam mala esse pronuntiatur, propterea quod cum lege, quaecunque demum illa sit, haud congruat, legemque superioris, uti vulgo asserunt, esse decretum: tamen ex hac actione non possunt non mala proficisci consecraria, a superiori irroganda. Id enim est, quod intendo.

** Moralitatem actionis igitur diiudicaturi erit, ut primo loco consecraria actionis studiose evoluat, deinde vero ad se eadem referendo, videat num consentiant cum essentia ipsius hominis, nec ne? Ex quibus patet, nihil, praeter usum rationis, hominibus in moralitatem inquirentibus, esse necessarium.

*** Quid tandem sit sentiendum de Atheis, cogitationes suas aliis haud patefacientibus, non video, si e Iure Natruali moralitatem illam intrinsecam atque obiectivam proscribere velimus. Leges enim civiles tam late non patent, ut earundem vis ad actiones internas tendat. Leges autem naturales a Deo esse repetendas, cuius existentiam non admittit, Atheus negat.

§. VII.

Bonitas igitur, ut et malitia ab actionibus nostris non potest seiungi. Dum enim actiones in relatione ad homines, per sua consecraria, i. e. necessario cum iisdem connexa, sint bonae vel malae, (§. VI.) ut non possit ab actionibus nostris separari vel bonitas vel pravitas, consequitur.

Malitia et bonitas ab actionibus est inseparabilis.

Ill. Davies Instit. Iur. Vni. §. 60.

* Ce-

VIII CAP. I. DE ACTIONVM INTERNARVM

* Celebrem hoc loco de actionum indifferentia habemus quaestionem. Indifferens apud Scholasticos est, quod aequè sic, ac aliter se potest habere. Indifferentes igitur actiones in moralibus forent, si bonae et malae esse possunt; sed ex istis oppositis, unum semper adesse debere, §. docet una cum antec. De actionibus necessariis non est sermo. Contingentibus vero actionibus in abstracto consideratis, indifferentiam quandam non possumus denegare, cum circumstantiis, quae totam immutant saepe actionem, careant. Si autem in concreto spectentur, semper bonas vel malas easdem esse, ex superioribus potest cogi. Vid. Buddeus Theol. Mor. L. II. I. 30.

** Si igitur actio moralis est bona vel mala; eiusdem bonitatem et malitiam per consecutaria quoque moralia determinari debere, patet. Eadem valent de actione quadam physica.

§. VIII.

*Cum actione
igitur prava
mala
connexa
sunt consecutaria.*

Actionem itaque malam comitantur consecutaria prava (§. §. VI. et VII.) effectusque mali inde nascuntur, a causis nequaquam seiungendi. Igitur et in actionibus, interne malis, talia ut reperiantur incommoda, quae cum homine coniunguntur, neutiquam esse potest obscurum.

* Internae actiones ergo moraliter esse possunt malae, cum per illa consecutaria, quae necessario ex iisdem fluunt, tum etiam per illa, quae sub datis quibusdam circumstantiis, exinde proficiuntur. §. VI. Habebis igitur actiones internas malas necessarias et contingentes. Bonae actiones eodem se habent modo.

§. IX.

Quid motiva?

Homo autem cum intellectus atque rationis sit particeps, consecutaria illa actionum ad se referre potest, i. e. inquire in effectus, ab actione in semet ipso expectandos. Quo facto, si effectus atque mutationes, in semet ipso obvios,

MALARVM POENIS NECESSARIIS. IX

vios, reperit atque iudicat malos, actionem ipsam iudicabit malam. Contra ea, si actio fuerit bona, bonos offendet effectus, atque consequentia cernet bona. Hae autem bonorum atque malorum repraesentationes in genere dicuntur motiva volendi vel nolendi. (per princ. Metaph.) Motiva igitur cum actionibus nostris semper sunt connexa. (§. 7.)

Davies l. c.
§. 37.

* Non igitur est, quod obiicias, hac ratione omnes etiam pessimas actiones esse prius perpetrandas, quam de bonitate et pravitate earundem ferri possit iudicium. Satis enim est uti ratione atque intellectu in hac materia, quorum ope futura facile detegi possunt confectaria.

§. X.

Cum omnibus igitur actionibus hominum pravis connexa sunt motiva nolendi (per leg. appetitus et §. ant.) i. e. malorum repraesentationes, ex actionibus, si perpetrentur, exsurgentium. Si igitur nihilo fecius tales actus sint suscepti, non possunt non repraesentationes malorum, iam partorum, inde enasci. Determinationes vero hominis dant ipsius statum, ideo, et hae repraesentationes statum efformabunt hominis, in quo mala sibi potest repraesentare iam acquisita. Eius generis status vocatur taedium. Ex quo manifestum est, certissimum actionum nostrarum interne malarum comitem esse taedium.

Ex actionibus malis oritur taedium, si perpetrantur.

* Forsitan L. B. de dictorum veritate dubitare possit, cum in hominibus perditissimis atque pessimis haud raro gaudium, aliosque affectus pergratos conspicere liceat. Sed non est confundenda hoc loco, vera hominis laetitia cum apparente. Qua vero ratione id fieri possit, ut mala appetamus, alio loco explanabimus.

B

§. XI.



X CAP. I. DE ACTIONVM INTERNARVM

§. XI.

*Infelicitas est
confectarium
actionum in-
terne mala-
rum.*

Hominem taediorum plenum in genere, infelicem nuncupare solemus, huius autem hominis status infelicitas dicitur. Sed cum taedia illa sint necessario ab actionibus internis malis expectanda, neque ab iisdem amovenda (§. ant.) ut infelicitas hominis, interne male agentis, inde proficiatur, necessarium est consequens.

* De huius autem infelicitatis quantitate, variisque gradibus alio tempore acturi, in praesenti non attingimus. Consensum verofassertorum, cum ipsis religionis nostrae patere principiis, verba Christi saepius repetita te docere possunt. Erant enim in ipsa Iudaeorum gente, qui internas actiones, haud esse malas, putarent. vid. Budd. Th. Mor. P. I. C. I. §. 39. obs.

§. XII.

*Infelicitas
igitur est
poena harum
actionum.*

*Lib. II. XX.
§. 1.*

Malum, actionis malae, confectarium, sive ut cum GROTTIO loquar *malum passionis, quod infligitur ob malum actionis, est poena.* Infelicitatem esse malum confectarium, nemo negabit. Igitur, cum mala confectaria oriantur ex actionibus malis, istud malum, actionum interne malarum, infelicitatem esse confectarium §. ant. satis docet.

*L. III. C. III.
§. 4.*

* Si *Bufendorfum* in I. N. et G. evolvere velimus, aliam de poenis explicationem reperiemus. Afferit quidem poenam esse malum quoddam molestum, sed addit, quod per modum coactionis et pro imperio alicui, intuitu delicti antegressi imponitur. Nosram igitur in ipsius explicatione latere definitionem, patet. Sed huic praeterea immiscet imperantem, cuius rationem supra iam dedimus. Poenas autem eius generis, ex I. N. nobis infligendas, sine dubio Atheus explodet. Vid. Grot. L. II. c. XX. §. 40. n. 4. de I. B. et P.

§. XIII.

§. XIII.

Hoc infelicitatis confectarium, si paulo ante dicta in *Actionum malarum necessaria-rum est poena necessaria infelicitas.* memoriam revoces, non ex actionis eiusdem solum moralis natura fluere, sed et, si contingens foret, ex eadem sub circumstantiis perpetrata quibusdam posse hauriri, deprehendes. Prioris generis poenae necessariae dicuntur, itemque naturales, posterioris vero generis, contingentes, arbitrariae, nec non positivae. Quam ob rem infelicitas erit necessaria omnium internarum actionum malarum poena (§. ant.) Igitur et hanc, ab actionibus pravis haud fero-vendam esse, atheus admittit.

* Aliam, ex Platone petitam *Hugo Grotius* L. II. c. XX. 6. edit poenarum partitionem, ex fine earundem potissimum depromptam, cui hac in materia possumus superfedere.

§. XIV.

Actiones autem, quum omnes bonae vel malae sint ap- *Indequid obligatio?* pellandae (§. VII.) rationisve usu homines haud sint destituti, cuius beneficio earundem consequentia cernunt, quae vel bona, vel mala: (§. VI.) bonorum atque malorum repraesentationes, cum actionibus coniunctorum, homines in actionibus posse observare, negari non potest. Hac autem repraesentationes motiva vocantur actionum earundem. (§. IX.) Igitur cum actionibus nostris motiva a natura esse connexa, apparet. Cum autem haec motivorum a natura cum actionibus, dependens connexio, obligatio naturalis dicatur: omnino dari obligationem naturalem, quae eo tendit, ut mala fugiamus, bona vero admittamus, ex dictis, haud obscurum esse potest. Si vero accidat, ut praeter naturam actionum, ab alio motiva sunt connexa cum actionibus, obli-

XII · CAP. I. DE ACTIONVM INTERNARVM

gatio dicitur positiva et arbitraria. Id circo positivam obligationem aliam esse posse divinam, aliam humanam, patet.

- * Denuo I. N. doctores hac in re explicanda dissentiunt, cum alii omnia obligationum genera, a superioribus ortum trahere, arbitrentur, alii vero, hanc de obligatione sententiam, explodant, inferantque, hac ratione nullam inter gentes mutuam dari posse obligationem.

§. XV.

Obligationis nat. existentia. Ex his prono fluit alveo obligationis naturalis existentia. (§. XIII. XIII.) Quam ob causam, eum, qui felicitatis in suscipiendis actionibus nullam habuit rationem, contra obligationem naturalem egisse, censeamus.

§. XVI.

Oblig. naturalis est simul divina. Deum esse, per principia metaphysica patet, eundem praeterea creasse homines, ideo et eorundem, naturam, ut existat, voluisse, certum est. Haec autem natura hominum sine actionibus consistere nequit; ex actionibus vero confectaria proficiscuntur: (§. V.) ergo et Deus haec cum actionibus confectaria coniuncta atque arctissimo nexu copulata esse voluit, ideo et poenas actionum malarum (§. XIII.) approbavit. Quam ob causam motiva ista naturalia cum actionibus connexa esse voluit, ideo et obligationem naturalem. (§. §. XIV. XV.) Obligatio igitur naturalis est etiam divina, quare ab aliis est mixta haud immerito nominata.

- * Videmus ex h. §. moralitatem actionum obiectivam subiectivam nequaquam excludere, sed unam ex altera optime posse deduci. Vid. §. VI. inast. ad arg. IV.

§. XVII.

§. XVII.

Ex obligationibus denique nascuntur leges, i. e. propositiones obligationem involuentes. Si igitur obligationis naturalis existentia est evicta; legis naturalis existentia in dubium non est vocanda. (§. XV.) Ex obligationibus vero positivis oriuntur leges positivae. Qui igitur interne male agit, is obligationi naturali non vivit convenienter (§. XV.) ergo et legem naturalem non observat. Lex autem naturalis est lex simul divina, (§. XVI.) qua de causa interne peccans, contra leges divinas agit, ideoque se reddit infelicem (§. XIII.)

Quid Lex naturalis?

* Quid lex ingenere sit, inter se digladiantur viri eruditi. vid. Grotius L. II. c. II. §. X. 1. quem sequitur celeb. Davies *Infl. Jurispr. univ.* §. 98. cum his compares Pufendorf. I. N. et G. L. I. Cap. VI. §. 4. et Buddeum *Infl. Th. Mor.* P. II. Cap. I. §. III. qui posteriores unam eandemque, defendunt sententiam. A lege autem probe discernamus consilium, utpote quod propositione quidem absolvitur, sed cui vis obligandi deest. Conf. Pufend. de I. N. de I. N. L. I. C. VI. §. I. Qua re etiam dicitur consilium agendi norma cupiam non data, sed solum indicata. In horum vero numerum Leges naturales referri nequeunt, uti §. §. ant. docent.

** Incidit hoc loco et ista quaestio, num solarum Legum naturalium ope, non admissis legibus civilibus, ciuitas regi possit? Ad quam dirimendam litem in civium naturam atque indolem erit nobis paulo accuratius inquirendum. Hi enim, si rationis ductum sequuntur, atque motivis naturalibus sectuntur i. e. vivunt obligationibus naturalibus convenienter, cur affirmativam non tenere possimus sententiam, non video. Celebre est dictum Euripid. Iphigen. in Aulide. v. 375.

ως αεχων αυη παρ, εηνεον ην εχων τυχη.

i. e. omnis Vir, mente qui sapiente pollet, magistratus est.

XIV CAP. II. DE INTERNARVM ACTIONVM

Sed, cum hominum haud raro in civitatibus maxima sit ad mala quaevis aliis inferenda, propensio, ut naturalia ista motiva saepius spernant, atque profus exstinguant, vimque legum naturalium penitus supprimant, fit, ut leges nequaquam sufficere videantur naturales.

§. XVIII.

*Ius natur. est
immutab.*

Hoc igitur, quod diximus, ius naturale, cum ex ipsis humanae naturae principiis deducatur, non potest, nisi cum ipsa natura humana, mutari, consequenter nec dispensari, uti dicunt, neque abrogationem, in eodem factam offendes. Quae cum sint certissima; neminem actionum internarum malarum poenas effugere posse, satis apparet. Qua de causa, cum huc referri debeat infelicitas, omnibus interne male agentibus eadem, de qua diximus, infelicitas, ceu poena imminet certissima, atque necessaria.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

CAP. II.

DE

POENIS ACTIONVM INTERNARVM MALARVM POSITIVIS, S. ARBITRARIIS.

§. I.

*Quid Civi-
tas Dei.*

Hactenus de necessariis internarum actionum malarum poenis, pro instituti nostri ratione, ut arbitramur, satis est actum. Persequamur igitur et arbitrarias, quae has actiones consequuntur, poenas. Deum esse, Meta-
phy-

MALARVM POENIS POSITIVIS. XV

physica nos condocet, eumque esse omniscium, sapientissimum, iustissimumque hominum rectorem atque imperantem, nemo facile, qui vere Deum esse confitetur, negabit. Quam ob rem ipse, ut dominium stricte sic dictum, i. e. ius de rei substantia proprio pro arbitrio disponendi, destruendi &c. rerum a se creaturarum substantias; sic summum imperium, h. e. ius dirigendi rationalium actiones liberas ad suam voluntatem, tenebit. Huic igitur imperio omnes, ne uno quidem excepto subsunt, qui simul sumti, Civitatem Dei constituunt.

Grot. L. I.
III. §. 7.
Davies. §. 551.

- * Quæri poterat hoc loco, num Athei ad civitatem Dei pertineant, cum, qui existentiam imperantis negant, ipsius imperium multo minus admittant. Sed sicut in civitate haud raro rebelles inveniuntur; ita, in Dei civitate, quin eosdem offendamus, non est dubitandum. Totus in eo est *Hobbesius de Cive* C. XIV. §. 19. et C. XV. §. 2. ut ostendat, atheos imperio Dei non subesse. Potior, quam addidit, ratio hæc est, athei, cum non consentiant in imperium, Sed Ius Civile publicum, omne imperium constitui eorum voluntate, quibus imperatur, non permittit. Vid. Pufendorf. L. III. Cap. IV. §. 4.

§. II.

Cuiuscunque vero generis sit civitas, ita tamen erit constituta, ut singuli in eadem vera, si serio velint, felicitate possint perfrui. Haec igitur summi imperantis summa lex erit, maximaque cura, ut civium felicitas singulorum obtineatur. Ergo et civitatis divinae hæc erit ponenda lex: Cives sint felices.

Finis civitatis.
Davies. §.
656. col. §.
666. II. num.
Grot. L. I.
c. I. §. 14. 1.

- * Variæ, hac occasione data, evolvi possent quæstiones, de civitatum natura, et speciebus. Sed cum iisdem superfedere possumus, in explicanda hæc materia, merito easdem non attingimus. vid. Grot. L. I. C. III. §. VI. sqq.

§. III.

XVI CAP. II. DE ACTIONVM INTERNARVM

§. III.

*Leges huius
civitatis Dei
sunt natura-
les.*

Cives huius civitatis divinae sunt homines, ab ipso Deo facti. Qua de causa, cum humana natura arctissime copulatas leges atque iura naturalia Deus constituit, quorum ope cives, si iisdem attemperentur, se reddere possent felicissimos. Iura igitur naturalia sunt simul divina (§. §. XVI. XVII.) i. e. a summo in civitate hac imperante leges datae, eumque in finem inditae, ut civium actiones iisdem dirigantur. Cives igitur, qui hisce legibus vivunt convenienter, suae felicitatis rationem habent; ceteri vero, qui contra eandem peccant, atque rebelles sunt, evadunt infelices. vid. Cap. ant. (§. §. XIII. et XVII.)

* Possemus h. l. in titulum acquisitionis huius summi imperii inquirere, nisi brevitati studeremus.

§. IV.

*Sunt impii
in hac civi-
tate Dei sub-
diti.*

In orbe terrarum, reluctantes pessimos, interne et externe peccantes dari haud raro homines, legesque naturales violantes, experientia, pro dolor, satis confirmat. Hi vero homines simul sunt civitatis divinae cives (§. III. et I.) id circo, et in civitate, interne et externe impios esse, nequit in dubium vocari. Externi actus a magistratibus, summo, (i. e. Deo) minoribus puniri possunt, non autem interni (§. II. Cap. I.) Hi igitur sunt, qui neque motivis actionum naturalibus flectuntur, neque obligationibus naturalibus vivunt convenienter, itemque divinis repugnant, legesque imperantis summi negligunt. Ex quo fit, ut sibi nihil nisi infelicitatem atque perniciem accelerent §. XVI. Cap. I.

§. V.

*Impii subdi-
ti sunt corri-
gendi.*

Summa principis cura eo tendit, ut ea, quae scit, subditis infelicitatem, atque incommoda allatura, amoveat. Deus

Deus igitur, ut summe sapientissimus atque omniscius, omnia probe tenens, ut interne, ita externe male facta, in id etiam incumbet, ut felicitatem impediencia removeat, atque avertat. Cives autem interne pessimi sunt, et perseverant esse homines, nimirum rationis atque voluntatis participes, Deus autem imperans est sapientissimus, ideo ut coactione quadam, ut ita dicam, physica atque violenta eosdem pellat atque incitet, asseri non potest. Haecigitur coactiva media, si persuasoria valere possunt eundemque effectum dare, a quod homines non sunt eligenda. Quam ob rem illa his sunt praefenda, quibus ciues ad bona peragenda, malaque effugienda in ciuitate diuina dirigantur. Ex duobus enim mediis, melius perfectiusque quod est, semper eligit sapiens atque prudens rerum arbiter.

§. VI.

Cives, qui interne peccant, obligationibus diuinis non vivunt conuenienter (§.IV.) physice autem cogi nequeunt (§.V.) relinquuntur, ut persuasoria adhibeantur media, utpote ad naturam horum civium magis idonea atque aptiora ad finem obtinendum. Hominum autem appetitus per bonorum atque malorum repraesentationes flectuntur. Inde fit, ut nova legibus naturalibus super addantur motiva a sapiente imperante, si naturalia non sufficere videantur. Ergo novae cum actionibus connecti debent obligationes, quae dicuntur positivae. Leges vero eiusmodi, cum quibus novae obligationes sunt coniunctae, dicuntur positivae. Inde legum in civitate Dei positivarum, ab ipso summo imperante edendarum, concipere possumus necessitatem.

*Quomodo
impii sunt
corrigendi.*

C

Haec

XVIII CAP. II. DE INTERNARVM ACTIONVM

* Haec accuratius si perspicere velimus, in memoriam res publica, quaecunque demum illa sit, erit revocanda. Leges enim in eadem tunc demum novae dantur, si naturales non sufficiunt ad animos, ab iis, quae nocumentum civibus afferre possunt, auocandos vid. cap. ant. §. XVII.

§. VII.

*Existencia
legum positi-
varum, no-
vas poenas
indicantium.*

Dari eius generis leges positivas, nemo forsan negabit, qui Deum summum esse omnium hominum imperantem, concedit, neque hominum, naturalia legum consuetaria aspernantium, ignorat malitiam, finemque civitatis Dei admittit. Legem autem sine poenarum sanctione esse nullam, omnes affirmant Juris interpretes. Qua de causa, nova ex actionibus internis, si malae sint, non posse non oriri mala consuetaria, i. e. poenas, palam sequitur.

§. VIII.

*Necessitas
poenarum
positivarum.*

Jus ad finem civitatis obtinendum, dat simul ius ad ea, sine quibus iste obtineri nequit, media. Ergo et poenas (§. ant.) praeter illas naturales (Cap. I.) supra descriptas, ab actionibus interne malis esse expectandas, cuiuslibet conspiciere licet. Hae autem poenae, quod sint arbitrariae atque positivae, utpote quae ab arbitrio pendeant, stentque legislatoris, nemo non perspicit. Necessitas igitur harum in civitate Dei poenarum positivarum, si naturales non sufficiunt, satis, ut arbitramur, est evicta.

§. IX.

*Confirmatur
eadem neces-
sitas ex effe-
ctu.*

Eiusdem igitur generis novas non solum esse datas, sed et promulgatas a Deo summo imperante arbitarias leges, naturalibus superadditas, prodit revelatio. Inde sine dubio factum est, ut plane novas a Deo datas existimaverint leges, quae

quae nec Juris naturalis necessarii, nec contingentis forent. Sed huic controversiae me immiscere nolo, num videlicet dentur leges positivae universales?

* Optime haec exemplis possunt illustrari, sed ex multis vnicum ad examen revocabo IV, nimirum praeceptum. Parentes eniam amare sine dubio Iuris est Naturalis, cum animum ergo benefactorem gratissimum, ipsa a nobis postulat ratio. Sed cum lex haec naturalis hominum animos parum flecteret, visum est Deo, novum addere motivum i. e. repraesentationem boni, quo magis homines idem observarent praeceptum, contra autem agentibus paenam etiam temporalem irrogare. De ceteris idem esto iudicium.

X.

Revelationes autem novasque expectare velle leges eiusmodi positivas, canone S. S. semel clauso, non potest admitti. Necessitas autem earundem in Civitate Dei est evicta, (§. VIII.) ideo aliam, voluntatem suam declarandi viam Deus ingreditur. Sed qua nam ratione fit istud? Afferunt Iuris doctores voluntatem ut tacite; sic expresse i. e. verbis, posse significari. Hunc autem hominibus patefaciendi modum, amplius non esse expectandam docet (§. huius initium.) Qua de causa necesse erit, ut imperans iste summus tacite i. e. factis a verbis distinctis, mala ista actionum internarum confectaria doceret homines, voluntatemque per ipsas poenas, ob actiones malas inflictas, indicaret.

*Quomodo
adhuc tacite
Deus voluntatem
de-
clarat?*

§. XI.

Confectarium illud malum, sive factum, quod cum actione quadam mala nascitur, cuius ratio tamen actio mala non est in se spectata, casus adversus s. calamitas nuncupatur. Haec igitur infortunia, cum haud raro actiones sequan-

Inde calamitates.

XX. CAP. II. DE INTERNARVM ACTIONVM &c.

sequantur malas, inter poenas positivas a summo imperante Deo, immixtas, esse referenda § docent antecedentes. Neque haec a Sapia summi Numinis esse aliena (§ IIX.) ostendit, cum eiusmodi calamitates, sive poenae positivae, si immittantur, atque aliis ob oculos positae, et in sensus incurrentes, optime eo valeant, ut alios a malis actionibus deterreant, animosque ad mala interne talia omittenda, efficaciter moveant. Eae enim, quae sub sensus cadunt, calamitates fortiores imprimere posse ideas, Logici satis ostendunt. Vid. GROTIUS, L. II. c. XX. §. 6. seqq.

§. XII.

*Quae hac in
tractatione
deficiunt,
indicantur.*

Duo sunt reliqua, de quibus alia data occasione nobis erit differendum, alterum erit, ut poenas actionum malarum internarum, ab influxu earundem in animae facultates, immo et corpus, expectandas, speciatim evoluamus, atque determinemus. Alterum vero ut haec non solum indicata, verum ea etiam Cap. I. et II. huius dissertationis, tradita, ad quasdam actiones interne malas applicemus, atque eadem ad principia examinemus. Sed haec in aliud tempus dilaturus, finem de hac re dicendi faciam.







Leipzig, Diss., 1747

29 Stk

ULB Halle

007 231 962



3

Sb

W 18

W 18 ka 1 12





1747, 26^b = 3

DISSERTATIO
NATURALIS PRIOR


DE
LARVM ACTIONVM
LARVM POENIS

QVAM
AVTORITATE
MI PHILOSOPHORVM ORDINIS
VBLICE DEFENDET
IANVS FRID. STIEGLIZIVS

RESPONDENTE
GOTTLIEB DOERING
CHENBACO VARISCO. TH. C.

MENS. MART. A. R. S. cIo Io CCXLVII

LIPSIAE
EBAT IO. GOTTL. IMM. BREITKOPF.



B.I.G.

Farbkarte #13

